Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Terrae sanctae vetus effigies ex. scripturae libris adumbrata - Cod. Ettenheim-Münster 117

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput VI.

urn:nbn:de:bsz:31-111337

Visual Library

ubi Tribui Gad aſcribitur, cum tamen in Tribu Ruben ſita fuerit. Iſajas 15,6. et Jeremias 48,34. mala Moabitis minitantes aquarum Nemrim meminerunt, quas deſertas et peſſimas nuncupant.

CAPUT VI.

De Idumæa seu Terra Edom.

327 Idumæa arabiæ provincia ab Eſau Patriarcha Iſaac filio et ejus poſteris poſt ejectos Horræos priores illius incolas poſſeſſa, inter Judæam, Ægyptum et Arabiam Petræam ſita, montibus abundans, inter quos præcipuus Seir fuit, qui illam à Judæa disjungebat.

Edom, quod nomen Hebræum est, atque rufum significat, dicta eſt à cognomine Eſau, qui quod rufus eſſet Edom cognominatus fuit, illiusque regio terra Edom nuncupata, quam deinde Græci Idumæam dixerunt.

D. Calmet ſcribit: „Eſau primo in montibus Seir ſedem fixiſſe; deinde in regionem Horræorum ad orientem et meridiem maris mortui migraſſe, poſterosque ejus Arabiam Petræam, totamque regionem ad meridiem Paleſtinæ inter mare mortuum et mediterraneum late habitaſſe. Quin et tempore captivitatis Babylonicæ, et cum Judæa raris frequentaretur habitatoribus, plagam Judææ meridionalem Hebron usque occupaſſe. Quare, pergit iſte, cum de Idumæa agitur, ætates diſtinguendæ ſunt: ævo Moyſis, Joſue ac Regum Juda ita ad orientem et meridiem Mare mortuum definiebat; ac Seir monte versus ſinum Elaniticum* claudebat. Succeſſu temporis Idumæa in plagam auſtralem Judææ porrigebatur. Orientalis Idumææ metropolis Bozra habebatur Edrai versus ſita; meridionalis vero Petra ſeu Jectael. Hasce duas Idumæas dedit, orientalem et meridionalem Paleſtinæ non nos primi diſtinximus: alij quoque ante nos, Strabo, Brocardus, Bonfrerius, Adrichomius, Torniellus eas diſtinxerunt.

At hic omnium ant alij, nec non Cellarius [illegible] nor. orb. ant. III, 14, 23. Specialiter Bonfrerium binas ſtatuentem Idumæas refutat, ſimulque oſtendit, regionem hanc initio non ita amplam fuiſſe, quin Iſraëlitæ ex Ægypto migrantes illam facili negotio circuire ejusque fines pertranſire valuerint. Poſtmodum et præſertim durante Babylonica captivitate Idumæi fines ſuos longius etiam in Hebræorum terram, Hebron et Eleutheropolim usque protenderunt; unde factum ut hujus terræ pars auſtralis jam in libris Machabæorum, tum in novo teſtamento Edom ſeu Idumæa nuncupetur. Porro Idumæi, Reges ante Judæos habuerunt, Gen 36,31. ex Regionis ſuæ admodum ſaxoſæ et montoſæ proinde acceſſu difficilis ſitu arrogantia tumentes cæterorum populorum dominationem nunquam prius tolerarunt; niſi cum David illos in ſuam redegit ditionem, 2 reg. 8,14. quo impleta eſt divina promiſſio: et major ſerviet „minori gen 25,23.

Impoſitum à Judæis jugum ægre ſuſtinuerunt Idumæi; quare Davide et Joab mortuis Adad Idumæus, qui ab infantia in Ægyptum delatus fuerat, in patriam regreſſus Salomoni adverſum faceſſivit 3 reg 11,14. Deinde ſub regno Joram filij Joſaphat penitus deficierunt, fruſtraque hic ipſis bellum intulit 2 par 21,9.10. Amaſias filius Joas Regis Juda aliquibus incommodis eos afficit: Petram urbem occupavit 10000 Idumæorum proſtravit, totidemque præcipites egit à ſcopulo, cui urbs hæc erat inædificata 4 reg 14,7. et 2 par 25,11.12. at hac victoria parum profecit.

* ſinus Elaniticus fretum fuit ab urbe Elan ſive Ailan ad ripam orientalem maris Rubri ſita nuncupatum. Elat ſive Elan portus erat ex tribus maris rubri, quorum primi duo Berenice vel Aſſimat appellabantur, Porro Elan ſive Elat ſpatio 150 milliarium à Gaza diſtabat, juxta Plinium, vel 1200 ſtadiorum ſecundum Strabonem et Plinium.

Azarias seu Ozias ejus filius Idumaeos ex urbe Elath seu Ailath seu Elan et Elat expulit 4 reg 14, 22 2 par 26, 2. Sub Achaz Azariae nepote et Joathan filio Rasin Rex Syriae eam occupavit; atque ejectis Judaeis illam Idumaeis denuo restituit, 4 reg 16, 6. Illos Holofernes in servitutem redegit Judith 3, 14. Nabuchodonosori Jerosolymam obsidenti Idumaei arma conjunxerunt, regemque ad eam funditus evertendam instigarunt, ps 136, 7. Jerem in 16 et 52, 7. Thren 4, 21, 22. Ezech 25, 12 Abdiae VII. At mali consilij auctores debita poena subsecuta est; siquidem Nabuchodonosor post quinque annos ab urbis Jerosolymae direptione finitimas nationes per circuitum Judaeae, nec Idumaeis excepsis subegit. Jer 49, 7. Ezech 25, 12. Abdiae VI. Judas Machabaeus pluribus victorijs illos fregit 1 mach 5, 3. et 2 mach 10, 16. Joannes Hircanus Simonis Machabaei sacerdotis summi filius 1 Mach 16 et 2 mach 11. ubi Tobiae filius dicitur, quod Tobias ejus avus fuerit, celebratus tandem eos edomuit, ac lege victoris circumcisioni, ac caeterorum legalium observantiae subdidit Joseph ant lib 13, c 17. Inde usque ad excidium Jerosolymae per Romanos Judaeis paruerunt; quibus in ejusdem urbis obsidione, exitum illius non expectantes, in Idumaeam praeda onusti regressi sunt Joseph de bell l 4, c 6.

Idumaeorum vetus religio ignoratur. Olim et ab exordio in obsequio veri Dei fuerant, tradente Esau, quam in domo patris sui Isaac ebiberat, Religionem. Job quoque Idumaeus ejusque amici, quorum scriptura in libro Job meminit, Domino quoque adhaerebant. Idumaei circumcisionem abjecerant, cum à Joanne Hircano sub jugum missi eo se iterum mysterio initiare, moresque omnes religionis Judaicae adoptare coacti sunt.

Modo Idumaea plane deserta est et inculta, ac nonnisi quidam hinc inde dispersi pagi in ea occurrunt, adeo ut omnino impletum videatur Jeremiae de ea oraculum:
„Et erit Idumaea deserta: omnis, qui transibit per eam
„stupebit, et sibilabit super omnes plagas ejus. Jer 49, 17.

Videtur ea esse regio, quam Turcae Bedumi vocant; Haec enim collocata est inter terram sanctam ad septentrionem, Aegyptum ad occidentem, Arabiam ad meridiem et orientem. Notatur hic

328 1mo Bosra urbs totius regionis, caput et sedes Regum ipsius. qui binas Idumaeas orientalem scilicet et meridionalem statuunt, urbem hanc in orientali collocant velut illius metropolim, nec non cum civitate Bosor, de qua praecedenti cap § 2. n. 1. egimus, confundunt. Relandus tamen l 3. p 665. notat plures hujus nominis urbes fuisse, ut in Trachonitide seu dimidia Tribu Manasse Jos 21, 27. ubi Bosram vocatur; in Moabitide, in Idumaea, quae simul confundenda haud sint; additque quod cum nomen Hebraeum Bosra seu, ut ipse loquitur Botzra locum munitum significet, mirum non sit, illud pluribus urbibus commune fuisse.

Nos de Bosra velut Idumaeae regia pro viribus nostris in c 5, § 2, n 1, sufficienter disseruimus, ejusque situm juxta illorum opinionem, qui eandem esse ac Bosor volunt, assignavimus: viderint modo, qui huic opinioni obnituntur, quo loco eam collocent.

329 2do Petra seu Jectehel urbs in finibus Idumaeae versus meridiem sita. Amasias Rex Juda adversus Idumaeos movens in valle salinarum ad austrum maris mortui eos fudit, atque victoriam suam usque ad hanc urbem prosecutus est, quam et assultu coepit, nec non Jectehel id est obedientia Deo appellavit, ut ostenderet merito obedientiae suae erga Deum partam de Idumaeis victoriam se accepto referre 4 Reg 14, 7.

Petra vox graeca rupem significat, ac in Hebraeo Sela nuncupatur, quod nomen urbi huic fortasse inditum est, quod aedes quamplurimas in saxo excavatas haberet.

De ea nullibi alias in scriptura fit mentio, nisi forte apud Isaiam 16, 1. et 42, 11. incertum tamen est, an simul Propheta de hac, aut etiam alia ejusdem nominis

urbe, quas plures fuisse nonnulli Geographi animadvertunt, an vero de rupe quadam seu saxo sermo sit. Inde etiam incertum quibusdam videtur eam fuisse Idumææ meridionalis metropolim, prout volunt, qui regionem hanc bifariam dividunt; potuit enim, aiunt, Amasias rupem quamdam, in quam Idumæi sese receperant, expugnare, quin inde argui debeat rupem illam urbem fuisse, sed forte ei castrum quoddam insedisse: nobis tamen verisimilius videtur illam fuisse urbem, quam Amasias expugnavit, quamvis ignoremus an Idumææ metropolis fuerit necne.

330 3tio Dedan urbs inter Petram et mare mortuum huic ad meridiem et illi ad septentrionem posita. De ea loquuntur, eique mala prædicunt Prophetæ Jeremias 25,23. et 49,8. et Ezechiel 25,13 et 27,20. Isajas 21,13 etiam hujus urbis populorum meminit, quos Dedanim vocat. Non confundenda est cum alia ejusdem nominis urbe, quam Geographi in Arabia felici in littore sinus Persici collocant, et quam Ezechiel 27,15. et 38,13. memorat.

331 ~~324~~ 4to Theman urbs Dedan ad Africum et Petra ad Septentrionem posita. creditur fundata à Theman filio Eliphas et Esau nepote, cujus fit mentio Gen 36, 11. Ibidem v. 34. et 1 par 1,45 memoratur Husam de terra Themanorum in Idumææ regno successor Jobab. Jeremias 49,7. defecisse sapientiam in Theman, ait, urbemque dissipandam pronuntiat v. 20. Disciplinam et sapientiam ab ipsius habitatoribus recessisse ait Baruch 3,22 et 23. Ipse delendam prædicit Amos 1,12. Quidam volunt in hac urbe litterarum academiam fuisse, quibus tamen alij obnuntiant.

332 ~~325~~ 5to Luza urbs æquali ferme intervallo mare mortuum inter et Rubrum posita. Eam quidam civis urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur, condidit. Hic Ephraimitis Bethel obsidentibus occultum in eam aditum ostendit, per quem illi urbem ingressi, eademque potiti, civem hunc ejusque cognatos omnes vita et libertate donatos, dimisere; qui hinc progressus urbem ædificavit, quam veteri civitatis suæ nomine Luzam nuncupavit, Jud 1,24 seq. Quidam volunt eandem esse ac Lesam, quam velut terminum meridionalem Chananitidis designat Moyses Gen 10,19, quod, si verum sit, civis ille urbis Bethel eam restaurasse duntaxat dicendus erit; porro Scriptura sæpius ea, quæ restaurantur, ædificari dicit. Alijs etiam videtur eadem esse ac Alus, ad quam Israëlitæ, cum in deserto Sur morarentur, Daphca egressi venere, Num 33,13.

333 ~~326~~ 6to Pharan urbs tridui itinere ab Ela seu Ailat, orientem versus, ex qua nomen deserto Pharan inditum. Codorlahomor, fœderatique Reges, bello regibus Pentapoleos illato, regionem usque ad arva Pharan vastarunt Gen 14,6. Agar è Domo Abraham pulsa in deserto Pharan unacum filio suo Ismaële sedem fixit, Gen 21,21. Israëlitæ à Sinai moventes in eodem deserto castra metati sunt Num 10,12 et 13,1. Inde Moyses ex singulis tribubus principes viros ad explorandam terram Chanaan misit Num 13,3,4. De monte Pharan Dominum apparuisse ait Moyses Deut 33,2. Paria apud Habacuc 3,3 leguntur. In Pharan juxta Maon et Carmelum David Saulem persequentem declinavit 1 reg 25,1.2. Viri illi, qui Adad filium Regis Idumææ, cum in ea Joab omnes masculos interficeret, subduxerunt, illum per Pharan in Ægyptum detulerunt 3 reg 11,18.

334 ~~327~~ 7mo Aila, Ailath, Elath, Elath, et Elan urbs posita in finibus Idumææ ad sinum maris rubri, qui ab ipsa sinus Elaniticus dicitur, decem passuum

millibus à Betra secundum Eusebium in loc. Hebr. V. Elath
s. 1700 stadijs seu 150 milliaribus à Gaza juxta Strabonem
et Plinium, orientem versus. Israëlitæ per viam cam-
pestrem de Elath et Asiongaber ad iter venerunt, quod
ducit in desertum Moab. Deut 2,8. David victis Idumæis
2 reg 8, 14 Ailath quoque procul dubio subegit, siquidem
quod ex ea Salomon ejus filius naves miserit in Ophir,
quæ inde 450 talenta auri ad eum detulerunt 2 par 8, 17 seq.
Idumæi sub regno Joram filij Josaphat libertatem suam
recuperarunt, nec non usque ad Oziam seu Azariam,
qui hanc urbem denuo obtinuit ac restauravit. 4 reg
14, 22. et 2 par 26, 2. Postmodum sub Achaz rege Juda
Rasin Rex Syriæ illam occupavit atque Judæos ejecit,
tum iterum Idumæorum facta est 4 reg 16, 6. Urbs
hæc apud veteres profanos Scriptores plura alia no-
mina sortitur, ut Elan, Elana, Elas, Aëlan, sive Elon.

335. ~~[illegible]~~ 2º Asiongaber urbs etiam ad Sinum Elaniticum
prope Ailath sita. Israëlitæ post longiorem moram
in Hebrona tandem venerunt in Asiongaber, indeque
moventes ad desertum Sin, in quo urbs Cades sita
fuit, transierunt. Num 33, 35. deut 2, 8.
In hujus etiam urbis portu Salomon classem in-
struxit in Ophir mittendam, ut inde aurum referret.
3 reg 9, 26. et 2 par 8, 17, 18. Eadem intentione post-
modum Josaphat Rex Juda classem instruxit, sed
frustra fuit quæ in hujus urbis portu confracta fue-
rit 3 reg 22, 49. eo quod in curando hoc negotio
societatem iniisset cum Ochozia impio Rege Israël
2 par 20, 35 seq. ubi Ophir Tharsis nuncupatur.

Index